




MONUMENTA SAECULARIA.

HERAUSGEGEBEN

VON DER

KÖNIGLICH BAYERISCHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN

ZUR

FEIER IHRES HUNDERTJÄHRIGEN BESTEHENS

AM 28. MÆRZ 1859.

I. CLASSE.

1. **G. M. THOMAS:** FRANCISCI PETRARCAE ARETINI CARMINA INCOGNITA.



MÜNCHEN.
IN COMMISSION BEI G. FRANZ.

FRANCISCI PETRARCAE ARETINI

CARMINA INCOGNITA.

EX CODICIBUS ITALICIS BIBLIOTHECAE MONACENSIS


IN LUCEM PROTRAXIT

IPSORUMQUE AD INSTAR MANU SCRIPTORUM

EDIDIT

GEORGIUS MARTINUS THOMAS.

MONACHII M. D. CCC. LIX.
IN COMMISSIS HABET G. FRANZ.



PROLEGOMENA.

Codex Italicus, ex quo haec carmina [SONETTI] Francisci Petrarcae inedita aut incognita in lucem protraximus et iam integra atque indelibata publicamus, in catalogo codicum bibliothecae Monacensis, qui hanc seriem librorum manu scriptorum in publicum usum ac commodum explicat, et eo postremo liberali nostra sedulitate composito, non, quod saeculum vocatur,

'positis in fenore nummis',

sic breviter descriptus est:

„**627.** (Ital. 259.)

Cod. chart., XV s., 58 f. in 4°. Ex bibl. Velseriana, dein Augustana. Cfr. Catalogum bibl. August. studio El. Ehingeri col. 879, IV. Codex ab initio compluribus foliis privatus.

Sonetti (di Francesco Petrarca).

De auctore horum carminum ex habitu codicis ipsius nihil stabiliri potest, neque pro certo affirmaveris eius nomen in iis quae ab initio interciderunt, scriptum fuisse. Codex absque

dubio est aliquanto poetâ ipso recentior, sed pro linguae indole et dictionis natura; pro ratione compositionis et versuum modulatione poetam saeculi XIV. latere verisimillimum est. Sunt carmina tam politica, quam spiritualia et amatoria.

Duae imagines leviter adumbratae, in f. 7ᵃ tamquam in orbe anuli imago feminae πολυκεφάλου, nescio an Babylonicae lupae; in f. 10ᵇ Laurus arbor sub qua sedet Amor, arcu sagittisque depositis, oculis fascia redimitis. Ad eam spectat carmen f. 40ᵃ:

Tu ti fai pingier gnudo con due ali
Amor fanciullo con la benda agli occhi
E par che a laura uoli e nulla tochi
Con larco a fianchi e la pharetra e strali.

Politica (f. 1—9ᵇ et hic illic etiam in seq. foliis) spectant ad statum ecclesiae et papatum Romanum tempore secessionis Pontificum in Franco-Galliam et reipublicae Romanae per Nicolaum Rienzi suscitatae.

Folio 10 est carmen contemplativum de fragilitate vitae humanae. A f. 11—58 sunt aut carmina amatoria aut, sed ea pauca, contemplativa, et severioris momenti et laetioris instar idylliorum. Ludit poeta inamoratus maxime in vocis Laurae diversa natura et sententia (veluti Laura, l'Aura et Lauro), item in repetitis iisdem verbis, aut ab initio versuum, aut in mediis, in griphis per singulas literas expressis et aliis. Linguae habi-

tus plus quam priscus et passim fere obsoletus, tamen ita ut ad linguam Toscanam boni saeculi appropinquet; formae verborum rauciores, sententiae valde obscurae nec minus structura quam rerum nexu saepe perquam difficiles. Ceterum etiam librarius saepius titubavit.

Haec pretiosa fragmenta antiquissimae apud Italos poeseos cur audeamus ipsi Petrarchae vindicare, alterius loci erit deliberatio."

Qua ego via et ratione quantaque in re tam difficili ac lubrica quam speciosa atque illustri usus anxietate haec fragmenta poetae Aretino vindicare studuerim, id in sollemni concione palam feci: 'Ueber neuaufgefundene Dichtungen Francesco Petrarca's. Vortrag in der öffentlichen Sitzung der königl. Akademie der Wissenschaften am 27. März 1858 zur Vorfeier ihres 99. Stiftungstages.' Aequum est me ea, quae tamquam intra oppidum Academiae ad eam opinionem fulciendam et comprobandam protuli, hic iusto ordine repetere atque concinne declarare.

Etenim licet me ipso et nomine et natura vix inveniatur, qui sit magis incredulus magisque uti aliis, ita edepol etiam sibimet diffidens, tanto hermaeo praeter expectationem ex locuplete fodina prolato, non modo instat, quod par est, cinctutorum iudicum dubitatio, acerrima veritatis indagatrix, sed etiam maligna incredulitas, invidiae soror germana — φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν. Hanc

quidem aut effugere aut conciliare, citra mortalium vires; at quae suo iure expetuntur, ea in promptu ponantur necesse est.

Quicunque Francisci Aretini carmina accurato studio pervestigaverit, doctus inde simul, quo ille modo exorsus versus suos conscripserit et correxerit, quid ille carminum suorum diuturnus politor adiecerit, detraxerit, mutaverit, expertus idem sedula lectione cum quae intercedant inter cuncta auctoris opera, inter prorsam et vorsam eius facundiam, gravissimae necessitates, tum quae de vita, moribus, ingenio deque fatis libellorum eiusdem tradiderint aequales, retulerint aut exposuerint posteri ac postumi, ei non potuit non videri mirum, qui sit factum, ut praeter ultimam poematum syllogen, quae fertur nomine 'Canzoniere', ex tot fructuosissimi poetae carminum fragmentis, appetitis ab universa Italia, per vulgum et quasi per circulatores disseminatis, paucae dumtaxat supersint reliquiae, ut ex ingenti farragine versuum, quos iuvenili ardore prodigus versificator, virili temperamento catus poeta composuit, rara modo vestigia maneant. Tantamne fuisse temporum aut iniuriam aut malignitatem, ut praeter parca Francisci idiographa, olim ab Ubaldinio detecta, quae ipsa poetae studia sese reformantis luculenter demonstrant, nullus codicillus, nulla chartula, nulla pagella perniciem aut persecutionem evitaverit? Quid? quod traditum est, latere in urbe Mediceorum gloria illustri poetae nostri paralipomena, quae hodie quoque ibi conservari nuperrime denuo divulgabant; eiusdem certe epistolas multo

plures, quam quae editae sint, in scriniis, maxime Parisinae bibliothecae delitescere, homines harum litterarum studiosos neutiquam praeteriit.

Magis ergo mireris, recentiore aetate harum rerum minime incuriosa nihildum repertum fuisse, quod Petrarcae testaretur loquelam, quam si contrarium contigisset. Sed est simul, quod consideres, non ubivis aut otium adesse aut opportunitatem nec penes eundem utique esse arbitrium, cuius sunt facultates. Regnat non nihil etiam fors. Schmellero quidem nostro, in quo viro nescio quid magis emineat, exquisitissima et amplissima doctrina an indefessae diligentiae, quae epigonis ingratis saepe et pro largitore pumilis thesauros deponeret inexhaustos, prodiga liberalitas, illi viro incomparabili si vita suppeditasset ad codices Italicos retractandos, quin haec fragmenta Petrarcae etiam ipse dispexisset, nullus dubito. Sed eum, qui hanc codicum partem non dico obiter tetigit, sed semel tantum perlustravit, non ut omnia ad liquidum perduceret sed determinaret potiora, id quod ipse manu sua adnotavit, eum carminis noni in fol. 5ª initium:

O cinquecento e cinque e diece guarda
Un R. un A. un dece. un nulla. un N.

a vero tramite deduxit; quippe in his numeris ille temporis terminum, annum aerae nostrae 1515, fixum esse statuebat, quum totum carmen per numerorum speciem aut per litterarum positionem certa verba et certas notiones exprimat, ita ut duo versus, quos modo ad-

scripsi, haec dicant: 'o DVX guarda RAXON.' Eo modo totum carmen dissolvendum et enodandum est, uti in versu septimo:

Se cinquecento un nulla a far non uene
Vendeta

latet: 'se DIO a far non uene vendeta' — in vv. 9 et 10:

Mira i pretori tuoi che idoli fano
Un R. fra due nulle

idolum indicatur tunc temporis Romae unice adoratum: ORO, i. e. *aurum.* Quae tunc sequuntur, obscuriora sunt mihique occlusa.

Haec per aenigmata quodam modo et allegorica dicendi ratio uti poetis illius aetatis, auctoribus putaverim Provincialibus, in usu fuit, ita etiam Petrarcae non displicuit, nec ipsi summo poetae Danti, qui eandem vocem 'Ducis' eadem forma velavit in 'Purgatorio' XXXIII, 43:

Nel quale un cinquecento diece e cinque
Messo di Dio anciderà la fuja.

Alterum utriusque poetae simile et mutuum offerunt hi versus Petrarcae nostri in PAG. 74.

Le sue uirtù segnate ha con mille. M.
E s' el contrario vn. I. segna si dole —

Dantis in 'Paradiso' XIX, 128—129

Vedrassi al Ciotto di Gerusalemme
Segnata con un I. la sua bontate,
Quando il contrario segnerà uno emme.

Sunt vero praeterea plura, quae Petrarca ex gurgite isto uberrimo in rivos suos deflexit. Id eo aevo in more fuit atque docet simul, quantam vim sublime ingenium vel brevi temporis spatio per omnes partes exerceat. Licuit idcirco poetae nostro in PAG. 85. integro versu commodato

A nullo amato Amor perdona amore

carminis elegantis finem facere elegantiorem; qui versus depromptus est ex loco notabili in 'Inferno' V, 103, ubi Francisca Ariminensis ita

Amor, che a nullo amato amar perdona,
Mi prese del costui piacer sì forte,
Che come vedi ancor non mi abbandona.

Et quum Dantes in 'Inferno' caput XXXIV ita incipiat, cantico vetere paulum amplificato,

Vexilla regis prodeunt inferni —

noster Petrarca poemati sublimiori (PAG. 16) idem struit exordium suo more immutatum

Regis celestis prodeunt vexilla.

Sed haec hactenus.

Illa igitur argutior interpretatio Schmellerum primo obtutu fefellit et stato illo, quem diximus, anno de Petrarca carminum auctore ambigere debebat.

Id iam aliter se habet. Namque quum omnino indoles sermonis

et dictio certissimo tramite ad saeculum tertium et decimum releget, carmina ipsa et historica et amatoria ita Musae Petrarcheae resonant spiritum, ut de uno eodemque auctore ne tum quidem dubitare possis, etiamsi ad hanc animi et ingenii propinquitatem aut potius congruentiam non accederet carminum evidentissima similitudo: quae similitudo non est aut fortuita aut ex imitatione oriunda, sed eiusdem hominis manus prima et secunda, eiusdem et unius poetae conceptio ac recensio.

Ex carminibus amatoriis primum dabimus conspectum eorum, quae prorsus sibi congruunt; unde manifesto comprobabitur, quod de Petrarca carminum suorum Italicorum severo correctore traditum est, simulque satius intelligetur, quod ipse maturiore vita professus est ('SONETTI in morte di Laura' XXV):

S' io avessi pensato che sì care
Fossin le voci de' sospir miei in rima,
Fatte l'avrei dal sospirar mio prima
In numero più spesse, in stil più rare.

Morta colei che mi facea parlare
E che si stava de' pensier miei in cima,
Non posso, e non ho più sì dolce lima,
Rime aspre e fosche far soavi e chiare.

Iam conferas editorum et scriptorum haec παραλλήλως ponenda:

SONETTO XXI.

Apollo, s' ancor vive il bel desio,
Che t' infiammava alle Tessaliche onde ....

Dal pigro gelo e dal tempo aspro e rio
Che dura quanto 'l tuo viso s' asconde,
Difendi or l'onorata e sacra fronde,
Ove tu prima e poi fu' invescat' io;

E per virtù dell' amorosa speme ....
Di queste impression l'aere disgombra.

Sì vedrem poi per maraviglia insieme
Seder la donna nostra sopra l'erba ..

PAG. 45.

Titan per quel desio, per quella fiamma,
Che gia t'indusse a l'onde di Thesaglia ....

De laurea fronde omai t'incresca e incaglia
Che prima a te el cuor arse, a mi l'infiamma;

E per uigor di tuoi justi feruori
Lieua questa aspra et horrida prociella,
Che dura puo mentre scosto dimori,

Alor ueder madonna e star con ella
Poremo e ragionar fra l'herba e fiori ...

Huius ipsius paginae versus

Ecco che Ioue a l'opera richiama
Vulcan che sue saete a nuocer uaglia ..

cui subiungas ex PAG. **23 versus**

Ioue Vulcan solicitando sprona
A la consueta sua longa fatica ..

locum invenerunt in SONETTO XXVI.

Sospira e suda all' opera Vulcano,
Per rinfrescar l'aspre saette a Giove —

quum hoc ipsum carmen et quae sequuntur continua (SONETTI XXVII et XXVIII) in multis referant imagines poematum PAG. 23, 42, 46, uti

SONETTO XXVI.

Quando dal proprio sito si rimove
L'arbor, ch' amò già Febo in corpo umano.

PAG. 42.

Che quel arbor che in corpo human Apollo
Ne i Thesalici campi amò gran tempo

una cum PAG. 23:

Ch' el suo usato soccorso l'abandona.

SONETTO XXVI.

La terra piagne ......
Allor riprende ardir Saturno e Marte
Crudeli stelle, ed Orione armato ..
...... come si parte
Il bel viso dagli angeli aspettato —

et SONETTO XXVII.

Stelle noiose fuggon d'ogni parte
Disperse dal bel viso innamorato.

PAG. 23.

Ride Orion, piangie la madre antica ...
Stelle crudele a uindicarsi prompte
. . . . .
Sol per mostrare quanto el suo bel uiso
Si aspecta dal ciel da più beati.

SONETTO XXVII.

Le braccia alla fucina indarno move
L' antiquissimo fabbro Siciliano,
Ch' a Giove tolte son l'arme di mano ..

PAG. 46.

Armarsi Iupiter puoco li gioua
Ch' al fabro Cicilian l'opra uien meno.

SONETTO XXVI.

... e 'l Sol ci sta lontano
Che la sua cara amica vede altrove

una cum SONETTO XXVIII.

Il figliuol di Latona avea già nove etc.

PAG. 23.

Corcassi infermo il figliol di Latona,
Cui mancha laurea fronde a lui più amica.

Ex his, quae modo ante oculos proposui, exemplis licet quodam modo introspici in fabricam poetae qui, quae a principio mente con-

ceperat et litteris mandaverat, postmodo multum quidem reformabat et in singulis vertebat, ita tamen, ut et primaria cogitatio remaneret et servarentur, quae colore venustateque poetica ipsi placerent.

Inde etiam factum est, ut quidam flosculi tamquam aurae flatu delati iam in alio prato quam in suo natalicio reperiantur. Haec vero postea comprobanda erunt; iam pergamus in incepta poematum collatione seu synopsi.

Quae leguntur in PAGG. 25, 60, 75 carmina, materiem praebebant poemati rotunda facilitate eximio, SONETTO XC, cui alterum est simile, SONETTO LXXXVIII. Illud prius totum hic inserendum putavi, silens de singulis, quae eandem faciem referunt, quippe sponte visu cognoscendis.

Pace non trovo, e non ho da far guerra,
E temo e spero ed ardo, e son un ghiaccio;
E volo sopra 'l cielo e giaccio in terra;
E nulla stringo, e tutto 'l mondo abbraccio.

Tal m' ha in prigion, che non m' apre nè serra;
Nè per suo mi riten, nè scioglie il laccio;
E non m' ancide Amor e non mi sferra;
Nè mi vuol vivo, nè mi trae d'impaccio.

Veggio senz' occhi; e non ho lingua e grido;
E bramo di perir e cheggio aita;
Ed ho in odio me stesso ed amo altrui;

Pascomi di dolor, piangendo rido;
Egualmente mi spiace morte e vita.
In questo stato son, Donna, per vui.

Mire concinunt ea poematia, quae Lauram amatam, Laurae virtutes, Laurae formositatem laudibus efferunt. Ea ratione conferenda sunt, quae congessit DE SADE 'Mémoires pour la vie de Pétrarque' I. 122 sqq. — licet ille non prorsus omnia exhauserit — cum iis, quae carmina in PAGG. 21, 28, 61, 70, 86, 89, 90 praedicant.

Quod dicit adagium *ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν*, id vix quis alius poeta uberius et ardentius cantavit Aretino nostro, oculorum dominae suae laudatore fascinato. Idem nobis imaginem Laurae suae plenam, integram et tantum non nudam expressit; tamen particula vultus adhuc latebat, narium forma. Ut de ea quoque acquiescant curiosi, fiet iam versu PAG. 109:

Dal naso chino il ciel per gratia offerse,

ubi in prosa legendum erat: *chino ch' il ciel* etc.

Totum vero hoc carmen abundantiam illam redolet, de qua nimia et facile absurda princeps criticorum Germaniae Lessingius in Laocoonte lepidissime scripsit.

Inter illa carmina maxime sibi congruunt SONETTO CLX coll. CVIII, et PAG. 21, quum carmen PAG. 86 intextum invenias 'Triumpho castitatis', his quidem versibus:

Armate eran con lei tutte le sue
Chiare virtuti, o gloriosa schiera!
E teneansi per mano a due a due.

Onestate e Vergogna alla front' era,
Nobile par delle virtù divine
Che fan costei sopra le donne altera.

Senno e Modestia all' altre due confine,
Abito con Diletto in mezzo 'l core,
Perseveranza e Gloria in su la fine;

Bell' Accoglienza, Accorgimento fore,
Cortesia intorno, intorno e Puritate,
Timor d'infamia e sol Desio d'onore,

Pensier canuti in giovenil etate,
E la concordia, ch' è sì rara al mondo,
V'era con Castità somma Beltate.

Originis paritatem testantur hi versus:

SONETTO CLX.

Raccolto ha 'n questa donna il suo pianeta,
Anzi 'l Re delle stelle ...

PAG. 86.

Colta ha il Re de le stelle in quel bel pecto ...

SONETTO CVIII.

In qual parte del ciel, in qual idea
Era l'esempio, onde natura tolse

Quel bel viso leggiadro, in ch'ella volse
Mostrar quaggiù, quanto lassù potea? ...

Quand' un cor tante in se virtuti accolse?

PAG. 21.

Il nostro vnde factor la suso tolse
L'exemplo in che mostrar natura uolse
In terza età canuta intelligentia ...
Virtù puoi quanta il ciel puo dar racolse
In lei ...

coll. PAG. 70.

. . .

Di dolci occhi ligiadri in quel bel uolto
Natura in cui conuerse ogni sua proua.

Inter virtutes Laurae, quae eminent singulari appellatione, facile ipse sibi affines eliges et colligabis epithetorum corollam.

Insigne documentum, quam libertatem sibi concesserit poeta in carminum suorum transmutatione ac compage, edit 'Canzone' XV, in qua coram domina sua sibimet ipsi dira omnia imprecatur, ficta esse et misere commenta obtestatus, si id unquam dixisset se alterius amore incaluisse. Ibi notabile istud '*S' i' 'l dissi*' vel '*S' i' 'l dissi mai*' per quatuor priores stanzas duodecies per anaphoram icitur, tum in quinta et sexta stanza reicitur '*Ma s'io nol dissi*' et '*Io nol dissi giammai.*' Pari modo carmina PAGG. 100 et 101, quae in

eadem materie per similes imprecationes versantur, illud '*S' io 'l dissi*' vel '*S' io 'l dissi mai*' decies continuo, per quatuor quaternarios duorum carminum bis, per duos ternarios prioris carminis semel, repetitur, contra in duobus ternariis posterioris carminis alterum '*Ma s' io nol dissi mai mai non sia*' magna vi effunditur. Ceterum nemo erit sanioris iudicii, quin his primariis poematiis prae luxuriosa Canzonae amplificatione potiorem laudem tribuat.

Imaginem Laurae plorantis ac moestae, Petrarcae ipsius dolorem et affectum exprimunt SONETTI CV et CVI, quibus unum carmen PAG. 72 pro fundamento est. Cernuntur inde vestigia:

SONETTO CV.

E vidi lagrimar que' duo bei lumi
C'han fatto mille volte invidia al Sole,
Ed udii sospirando dir parole
Che farian gir i monti e stare i fiumi ..

SONETTO CVI.

Quel sempre acerbo ed onorato giorno ..
.. spesso a lui con la memoria torno ..

PAG. 72.

Mai non mi torna a mente il giorno lasso
Ch' io uidi lagrimar quelle due stelle
Che solian far mirando fisso in elle
Inuidia al sol e mirar Ioue a basso,

E le parole udì che vn uiuo sasso
Haurebon mosso a suspirar con quelle.

Etiam huius carminis διόρθωσις nescio an secundo loco ponenda sit.

Benedicit poeta, secutus ipse alia illius aetatis exempla, omnibus momentis incepti amoris. Idem, qui modo amplificationi indulsisse visus est, iam strictior et qui uberiora resecaret, apparebit.

SONETTO XXXIX.

Benedetto sia 'l giorno, e 'l mese, e l'anno,
E la stagione, e 'l tempo, e l'ora, e 'l punto,
E'l bel paese, e 'l loco, ov' io fui giunto
Da duo begli occhi, che legato m' hanno;

E benedetto il primo dolce affanno,
Ch' i' ebbi ad esser con Amor congiunto,
E l'arco, e le saette, ond 'io fui punto,
E le piaghe, ch' infin al cor mi vanno;

Benedette le voci tante, ch' io
Chiamando il nome di mia Donna ho sparte,
E i sospiri, e le lagrime, e 'l disio;

E benedette sian tutte le carte
Ov' io fama le acquisto, e 'l pensier mio,
Ch' è sol di lei sì, ch' altra non v' ha parte —.

coll. SONETTO X.

I' benedico il loco, e'l tempo, e l'ora
Che sì alto miraron gli occhi miei ...

PAG. 102.

Quando de bei uostr' occhi i' uego i rai,
Donna, nel cuor che le radice m' hanno,
Ringratio l'hora e'l giorno e'l mese e l'anno
E la stagion, che in uoi gli occhi leuai.

Cossì sia benedecto quanto mai
Puoi soffersi e soffrir deggio affanno,
E le piaghe, che al cuor sempre mi stanno,
Dal dì ch' io me per uoi seguir lassai.

PAG. 97.

Cossì sia benedecta l'hora e'l puncto,
E 'l mese e l'anno e 'l dì ch'io l'ascoltai,
Che accese il foco a l'aura ou' io son givnto,

Et quante per lei lacrime uersai,
E le saete con che la m' ha puncto,
Doglia, sospir, tormento, pene e guai —

coll. PAG. 81.

Benedecto sia il dì di prima ch' io apersi
Gli occhi per gratia a spechiarmi nei suoi,
Quel ch' io ne parlo e ch' io ne pensò e puoi
Quant 'io ne scrissi in prosa mai ne uersi.

Essi fur l'esca vnd' io taque e soffersi
Le dolce piaghe, Amor, di strali tuoi ...

et PAG. 88.

Cossì sia benedecta l'hora e il giorno,
Ch' io la man prompta porsi a questa penna,
Che ha sì di tua memoria il mondo adorno.

Qui versus SONETTI L **finem faciunt**

Pigmalion, quanto lodar ti dei
Dell' imagine tua, se mille volte
N'avesti quel ch' i' sol una vorrei!

in PAG. 114 **totius carminis sententiam effingunt**

Felice Pigmaleon, felice quanto
Lodar de la tua imagine te puoi,
Ben hai da ringratiar cason da puoi
Che a preghi il tuo dolor si uolse in canto
. . . . . .
E tu le uoglie tue già mille fiade
Feste contente! e me mai ne pur vna.

Contra stropham PAG. 69.

Ne poria Po, Nillo, Arno, Adice e Tibro
Alpheo, Garona, Euphrate, Hybero e Tygre
Lentar la fiamma in ch'io uiuer delibro

dilutam habes per SONETTO XCVIII.

Non Tesin, Po, Varo, Arno, Adige e Tebro,
Eufrate, Tigre, Nilo, Ermo, Indo e Gange,
Tana, Istro, Alfeo, Garonna, e 'l mar, che frange,
Rodano, Ibero, Ren, Sena, Albia, Era, Ebro
. . . .
Poria 'l foco allentar, che 'l cor tristo ange.

Denique haec sibi ex adverso ponantur:

SONETTO CXLIII et CXLIV.

Di dì in dì vo cangiando il viso e 'l pelo,
Nè però smorso i dolci inescati ami
Nè sbranco i verdi ed invescati rami
Dell' arbor . . .
. . . . . . ch' io non sempre tema e brami
La sua bell' ombra, e ch' i' non odii et ami
L' alta piaga amorosa . .
. . il colpo
Ch' Amor co' suoi begli occhi al cor m'impresse.
. . . un laccio sì possente
Che morte sola fia, ch' indi lo snodi.

PAG. 87, coll. PAG. 88.

Fia mai che morte il nodo o merce scioglia?
Che Amor legò con le man proprie e delo
In guardia a chi anci tempo e 'l uiso e 'l pelo
Mi fa cangiar, ma non pensier ne uoglia . . .

... arborsciel che de tuoi rami
Le tempie di madonna e 'l nome uesti ..
Pur in te tese Amor la rete e gli hami
Con che tu prima a l'esca mi cogliesti ..
Esser non può ch' io non ti tema et ami ..

Eandem sententiam pertractavit poeta in CANZONA XVI, in qua versus stanzae septimae

Che ben mor chi morendo esce di doglia

recurrit in PAG. 87.

Che mal non può morir che di doglia escie.

Alter eiusdem Canzonae stanzae sextae versus

La colpa è vostra e mio 'l danno e la pena —

cui parem habet SONETTO CLXIX.

Vostro, Donna, 'l peccato e mio fia 'l danno

item bis resonat in PAG. 108.

Vostro è il peccato e mio danno e la pena

et in PAG. 30.

Di madonna è la colpa e non già mia.

SONETTO CLVI.

Non dall' ispano Ibero all' indo Idaspe ...
...   o qual Parca l'innaspe?
Che sol trovo pietà sorda, com' aspe

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]

PAG. [illegible]

[illegible]
[illegible]
A [illegible] lachrymar, fondor in cera

PAG. 30.

Come un veltre seguir con un bue stanco
Che nanzi a mille miglia e fuggie via.

Sed profecto longum est et nescio an parum idoneum, omnes enumerare in utroque poeta similitudines, maxime eas, quae non tam inventionis esse videantur, quam imitationis, eo saeculo mirum quantum vigentis et sine obtrectatione acceptae. Neque magis necessa-

rium, quin imo supervacaneum putaverim, quae Petrarcae quasi proprietates, notae illae ac pervulgatae, et verborum et comparationum, etiam in hoc codice redeunt, in aciem vocare. Nam non tironibus haec scribo, sed viris eruditis et me ipso musae Petrarcheae familiarioribus.

Verum enim vero confidenter pronuntio ac certus contendo, vix unum alterumque posse inveniri in his ineditis Francisci carminibus amatoriis, quod non in editis aliquo modo reluceat, sive in verbis et sententiis, sive in figuris et ornamentis. Et si aliquod poematium pro novo et incognito declarandum est, est illud novum eiusdem ingenii eiusdemque spiritus monumentum, neque aliud inde probatur, nisi sui solius poetam fuisse aemulatorem, qui ingenii voluptati lubenter indulgeret, sed quae iuvenis impetu magis et ardore animi composuerat, postea summa arte limaret et venusto decore indueret. In quo studio et sedulo labore non est infitiandum, non nulla eum aut omisisse, quae aegre desideraveris, aut resecuisse integra ac sana.

Continet enim revera codex noster plura poemata, quae mira gratia et eleganti venustate praecellunt, uti quod legitur in PAG. 68 poetae et Laurae venustissimum colloquium, vel in PAG. 44 idyllium simplicitate sententiarum insigne, fortasse in recessu Vallis Clausae conceptum [DE SADE mémoires I, 346]; quaedam tamen etiam in hoc

carmine non carent similitudine in editis, coll. SONETTO XX et CANZONA quarta; vel in PAG. 105, ubi lepidissimi versus

O rosa colta in rugiadosa brina
Per dar sostegno a la mia vita stancha

in mentem revocant Waltheri nostri (ed. Haupt pag. 27)

dîn munt ist roeter danne ein liehtiu rôse in towes flüete —

vel in PAG. 82 pulcerrima stropha

Io staua attento e pallido a uederla
Come a cui nouo incargo era comesso,
Meco di lei mirauigliando spesso
Come chiusa in or fin candida perla —

quae iuvenis primo Laurae adspectu attoniti sensum egregie exprimit; vel denique in PAG. 49 vesperascentis diei gratissima imago, ex qua decimo invicti Amoris anno CANZONAE quartae molliores querelae profluxerunt.

Cognationem testantur haec:

CANZONAE STANZA PRIMA.

Nella stagion, che 'l ciel rapido inchina
Verso occidente e che 'l dì nostro vola
A gente che di là forse l'aspetta ..

et PAG. 49 quaternarius primus

Quando il nostro occidente il sol posterga
. . .

Volgie a la note il dì nostro le spalle
Di che giente di là par che si aterga ...

Haec antipodum recordatio renovatur in PAG. 53.

Che la sera che 'l sol scorgie giù il carro
Per far a chi di là l'aspetta lume ..

Metaphoram istius quaternarii: '*volgie .. le spalle*' reddit versus stanzae quartae

E lassi Ispagna dietro alle sue spalle.

CANZONAE STANZA TERTIA.

Quando vede 'l pastor calare i raggi
Del gran pianeta al nido, ov' egli alberga,
E 'mbrunir le contrade d'oriente,
Drizzasi in piedi e con l'usata verga ..
Move la schiera sua soavemente ..
Ivi senza pensier s' adagia e dorme ..

et PAG. 49 quaternarius alter

Prende il pastor la consueta uerga,
L'armento e guida in qualche chiusa ualle,
Iui pon giù le membra fesse e dalle
Al nocturno ocio e senza cura alberga.

Huius ipsius strophae partem nescio an non commodo immutata imagine stanzae quartae exordium esse voluit poeta

E i naviganti in qualche chiusa valle
Gettan le membra.

Nec abest utrobique infortunati exclamatio, ibi in stanza quinta

misero me che volli ..

hic sub carminis finem

io note e dì uo misero ..

Ultimum vero PAG. 49 versum

E tiemi a me di me medesmo in bando

repetit SONETTO ('in vita di M. Laura') XLVIII.

.. quella mia nemica
Ch' ancor me di me stesso tene in bando.

Quodsi carminum reliquiae eroticorum, quas servavit codex noster, maximi sunt aestimandae, cum quod indolem ac studia Aretini poetae luculentissime aperiunt, tum quia inde ad illustrandam quam hodie dicunt historiam sermonis Italici larga materies congeri potest, non minoris pretii censenda videntur esse cetera fragmenta, historica vel moralia, quae appellaveris, carmina. Quin adeo propter rerum gravitatem pariter atque facundiae libertatem habent, quo vel illa amatoria superent. An quis est, quin poetae in his versibus ardentissimum patriae amorem, severum in saeculi vitia iudicium, acre veritatis studium, insigne humanioris eruditionis exemplar agnoscat, praedicet, admiretur? Et quis est, si quidem abhorret tenebricosas libidines et nocticolarum obscura tentamina, quin servatis his liberalis ingenii testimoniis eo magis gaudeat, quo rariora eius ipsius remansere monumenta, quo certius est impiam pietatem

in haec ipsa cum pernicie grassatam esse. Valde enim est probabile, codici ipsi, ab initio manco et lacero, iniuriam propterea illatam esse, quod potissimum in ea parte illa carmina locum habebant, quae res publicas et sacras perstringebant.

Sed haec quoque poemata non solum elocutione atque ingenio, id quod summum est, verum etiam singulis aut verbis aut sententiis Petrarcam auctorem manifesto testantur. Conferenda sunt ea ratione haec carmina cum illis, quae inter edita feruntur nomine 'Sonetti e Canzoni sopra varj argomenti.' Sed si quis poetae nostri haec severiora studia pernoscere velit, adeat necesse est illius opera Latina, epistolas praecipue et eclogas. Inde et similitudo ingenii ad unguem emerget et parabitur iusta rerum cognitio.

Sufficiat hic pauca dumtaxat digito attingere, quum qui omnia perlustrare vellet, commentarios integros expleret; id quod ego quidem nec volo nec valeo.

Ut a primo carmine incipiam, illud tangit aperte Nicolaum Laurentii, secundo Tribunum Romanorum, quum iam in eo esse videretur ut in gurgite rerum ipse in praeceps daretur. Eo tempore scripta est Petrarcae ad illum epistola, quae est inter epistolas familiares VII, 7. Inde hic locus apprime convenit: '*nosti quibus tramitibus ad gloriam ascendisti, uersis retro uestigiis inde de-*

scenditur et natura facilior est descensus. latissime enim patet neque solum apud inferos locum habet, quod a poeta dicitur

facilis descensus Auerni ....

semper ex alto periculosior casus est et quid oro uirtute altius ac gloria, quarum in uerticem conscenderas .... hanc mihi quoque durissimam necessitatem exime, ne lyricus apparatus tuarum laudum, in quo teste quidem hoc calamo multus eram, desinere cogatur in satiram.'

Constat Franciscum vehementissime invectum esse in vitam tunc temporis dissolutam tam Romanorum, quam Pontificum Avenionensium, item maxime doluisse flagitiosam ecclesiae Christianae ruinam, Italiae, '*nidi sui*,' lugubre exitium; eundem vero etiam gaudio exultasse, ubi spes bona adesse videretur fore, ut patriae restitueretur pax et concordia, Romae redderetur Papa, prisca Christianorum virtute amictus. Eius rei testimonia sunt fere plurima carmina, quae leguntur ad paginam usque 17. Excerpta quaedam doceant editorum ineditorumque mirum consensum.

SONETTI ('sopra varj argomenti') XV, XVI, VI.

L'avara Babilonia ha colmo 'l sacco ..
Già Roma or Babilonia falsa e ria ...
per fiaccar le corna
A Babilonia ....

SONETTO ('in vita di M. Laura') LXXVIII.

Dell' empia Babilonia, ond' è fuggita
Ogni vergogna .....

SONETTO LXXXI.

A Roma il viso ed a Babel le spalle . .

PAG. 5 et 7 et 65.

Sol per far Roma vn altra Babylonia . .
Far vn Babel ....
Che Roma hai facta Babylonia . .
Ver Babylonia und' è uirtù bandita.

Versus obscurior SONETTI ('sopra varj arg.') XV.

e quella fia in Baldacco

aliquid lucis accipit ex PAG. 12.

Ch' ella non cerchi anchor far de Baldacho
Vera la fede e di Romani lorda.

SONETTO ('sopra varj arg.') XIV.

.... e Belzebub in mezzo

PAG. 4 et 7.

A Belzebu la fronte, a Christo il tergo . .
Cierca far nouo a Belzebu uicario ...

Si in SONETTO ('sopra v. arg.') XVI de Italia queritur poeta acerbe dictis, quippe quae facta sit:

Fontana di dolore, albergo d'ira,
Scola d'errori e tempio d'eresia ...

O fucina d'inganni, o prigion d'ira

. . .

Putta sfacciata ...

coll. SONETTO XIV.

Nido di tradimenti ...

et SONETTO (in vita di M. Laura) LXXVIII.

Albergo di dolor, madre d'errori —

hic in PAG. 4 non minus lugubris cernitur

... un carcier tetro,
Spelunca di latroni e giente praue.
Fontana de heresia, madre d'errore,
Schola di tradimenti e fida scorta,
D'ogni iniusticia e d'antichristo albergo.

coll. PAG. 6.

... facta un lupanario.

Primo quaternario PAG. 4 consocies ex SONETTO ('sopra v. arg.') VI.

E 'l vicario di Cristo con la soma
Delle chiavi e del manto al nido torna.

Praeterea ad illud carmen in PAG. 4 apte alleges epistolam primam Petrarcae ex libro, qui audit 'sine titulo', quam de papatu Benedicti XII interpretantur. Ibi quum imago naviculae inter saxa et scopulos vacillantis et gubernatore privatae describatur, haec occurrunt: '*remos agunt inexperti, clavi autem rector .. artis nauticae praecepta despiciens terram amat . . . valde metuendum est, ne*

urgente aestu inter piratas et scopulos pereamus. huc nos gubernatoris nostri perduxit inscitia, mitius loquor, immo vero caecitas' — quae nescio an ad idem intendant, quod hic legitur:

Senza nochier in disarmata naue
Solcar che non ha ripa o fondo fretro.

In SONETTO ('sopra v. arg.') I castigat poeta saeculi ignaviam, luxuriam, voracitatem, pravas cupidines:

La gola e 'l sonno e l'oziose piume
Hanno del mondo ogni vertù sbandita ..
Ed è sì spento ogni benigno lume
Del ciel ...

coll. SONETTO ('in vita di M. Laura') LXXVIII et SONETTO ('sopra v. arg.') XV.

ed ha fatti suoi Dei
Non Giove e Palla, ma Venere e Bacco —

item in PAG. 14.

Et è sì la uirtù da te sbandita
Che del ciel l'ira i tuoi danni consente,

PAG. 26.

Gola, Baccho, ocio e Venere chi apreza,
Triumpha per montar al summo segio,

coll. PAG. 8.

Che le uirtù giù scende e 'l uicio sale,
Venere amica e Pallade molesta ...

Iusticia poco e la ragion men uale,
Di Bacco sempre e crapula la festa.

Apprime vero hanc totam poetae nostri sentiendi rationem et omnia, quae huc spectant, eius poemata illustrat carmen, quod ex altero codice Italico bibliothecae Monacensis nr. 230, quondam inter Victorianos thesauros, erutum infra a PAG. 115 seqq. pretiosis fragmentis Sonettorum ut adsererem auctoritate honestissimorum sodalium concessum est. Haec 'Canzona', quam Francisci Aretini esse ex inscriptione licet strictiore colligi potest, dictionis colore, similitudine sententiarum, verborum aculeis ingenium Petrarcae tam vividum repraesentat tamque verum, ut vel nullo dato indicio soli illi auctori postliminium iustum foret. Hoc ipsum carmen, id quod iam alibi professus sum, insigne gravitate sententiarum ac verborum pondere, splendidum idem poetica virtute animique candore, describit et castigat notatque multa libertate res Avenionenses, quae fere medio, quo vivebat Petrarca, saeculo lento ac delicato cursu fluitarent. Uti haec Canzona reliquis eiusdem generis carminibus Petrarcae mirabile lumen adfert, ita ipsi quoque interpretando maxime ex epistolis eiusdem commodam materiem adgeres. Hic locos quosdam primarios adscribere sufficiet correctiores, quos ex libro epistolarum, qui fertur 'sine titulo', deprompsi. Iam singularum sollemnis titulus, uti 'de inamoeno occiduae Babylonis statu', 'de tertia Babylonia', 'de Babylone Gallica', indicat, quae in iis exposita esse credas.

EP. V. p. 793 ed. BASIL.

Cernere pro sancta solitudine frequentiam sceleratam et circumfusas acies satellitum pessimorum, pro sobriis voluptuosa convivia, pro peregrinationibus piis otium inhumanum et obscoenum, pro nudis pedibus Apostolorum niveos furum volitare cornipedes, auro instratos, auro tectos, aurum mandentes, auro denique propediem, nisi Dominus servilem luxum coerceat, calceandos!

EP. XIV. p. 800.

Quis, oro, non fugiat Babylonem? et vitiorum simul omnium et laboris ac totius miseriae moestam domum? .. visa loquor, non audita . . . novi expertus, ut nulla ibi pietas, nulla charitas, nulla fides, nulla dei reverentia, nullus timor, nihil sancti, nihil iusti, nihil aequi, nihil pensi, nihil denique vel humani. amor pudor, decor, candor inde exulant. de veritate quidem sileo, nam quis usquam vero locus, ubi omnia mendaciis plena sunt.

EP. XVIII. p. 806.

Veritas ibi dementia est, abstinentia vero rusticitas, pudicitia probrum ingens, denique peccandi licentia magnanimitas et libertas eximia, et quo pollutior eo clarior vita, quo plus scelerum eo plus gloriae, bonum nomen coeno vilius atque ultima mercium fama est ....

Mulier circumdata purpura et coccino et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu

sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis eius. Noscisne te ipsam Babylon? nisi illud forsan errorem facit, quod in illius fronte scriptum erat 'Babylon magna', tu vero Babylon parva es. parva utique murorum ambitu, sed vitiis et ambitu animorum et infinita cupidine cumuloque malorum omnium non magna modo sed maxima, sed immensa es. et certe quod sequitur, tibi uni convenit, non alii 'Babylon, mater fornicationum et abominationum terrae' . . .

Taceo haereditatem Simonis et illam haeresis speciem non ultimam, spiritus sancti dona mercantium. taceo mali illius avaritiam matrem, quae idolorum servitus ab Apostolo dicta est. taceo utriusque pestis artifices et concursantes Pontificum thalamis proxenetas . . . .

Quis, oro, enim non irascatur et rideat, illos senes pueros, coma candida, togis amplissimis adeoque lascivientibus animis, ut nihil illuc falsius videatur, quam quod ait Maro:

frigidus in Venerem senior —

tam calidi tamque praecipites in Venerem senes sunt, tanta eos aetatis et status et virium cepit oblivio, sic in libidines inardescunt, sic in omne ruunt dedecus, quasi omnis eorum gloria non in cruce Christi sit, sed in comessationibus et ebrietatibus et quae has sequuntur, in cubilibus impudicitiae. sic fugientem

manu retrahunt iuvencam atque hoc unum senectutis ultimae lucrum putant, ea facere quae iuvenes non auderent. Hos animos et hos nervos tribuit hinc Bacchus indomitus, hinc orientalium vis Baccharum. O Ligustici et Campani palmites, o dulces arundines et indicae nigrantes arbusculae ad honestas delicias et utilitates hominum creatae, in quos usus et quantam animarum perniciem clademque vertimini! spectat haec Sathan ridens atque in pari tripudio delectatus interque decrepitos ac puellas arbiter sedens stupet plus illos agere quam se hortari.

Restat ut de forma huius editionis pauca moneam. Quum non sine iusta ratione collegio amplissimo placuisset, codicem ita edendum esse, ut ipsius quasi alterum exemplar unicuique ante oculos poneretur, meum erat, cum summa fide vel in punctillis exsequi, quod mandatum esset. Inde factum est, ut non solum textus, qualis in ipso codice cernitur, intactus atque immutatus cum suo proprio habitu et, ut ita dicam, suo vultu etiam hic diligentissime excusus sit, verum etiam carmina, uti sunt continuata neque librariorum notis distincta, in scaenam prodeant. Neque tamen adeo indulgendum videbatur librarii arbitrio ut, quae ille quippe homo peccavisset, pro sanis et veris venum irent. Si igitur aut lapsus oculorum aut error manus deprehendebatur, si aut deesse aut male adesse aliquid manifestum erat, officium monendi et emendandi nulla

condicione dereliqui. Non nulla vero, quae fortasse alteri corrigenda esse videantur, certis de causis equidem illibata servavi.

